



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. De actu scientiæ generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

cantur à principio per quod producuntur. Imò habitus, vt dixi, specificatur per actum: ergo non specificat actum. Deinde certum est aliquos actus specificari ab obiecto: ergo omnes ab eo specificantur; non enim maior est ratio vnius, quam alterius. Probo antecedens; nam actus fidei, & actus opinionis ac scientiæ, ab eodem producuntur intellectu, à quo non specificantur, neque possunt differre nisi quia fides nititur autoritate, opinio medio coniecturali, scientia motiuo certo. Eadem voluntas & sperat & amat eundem Deum. Diuersitas spei & amoris peti non potest nisi à motiuis: ergo certum est aliquos actus specificari à motiuis. Deinde actus intellectus & voluntatis differunt specie: non differunt propter principia; nam intellectus & voluntas non differunt ab anima, vt probabo infra. Imò intellectus & voluntas si differunt ab anima, & inter se realiter, emanant ab eadem anima; vnde non possunt ab ea specificari: ergo specificantur per actus & obiecta. Denique species impressæ obiectorum differunt essentialiter inter se per obiecta quæ representant, etiam si ab illis non producuntur; species enim albi & nigri non differunt nisi per ordinem ad diuersa obiecta: sed eadem ratio, quæ probat species impressas differre inter se per obiecta, probat etiam species expressas, siue actus intellectus & sensuum, imò & actus quoslibet differre per obiecta: ergo actus quilibet differunt inter se, & specificantur per obiecta. Sed hæc alibi fusiùs.

Solutio primæ difficultatis.

Ad primam distinguitur maior. Id quod specificat aliud, debet esse illi intrinsecum; si specificet per modum formæ inherens, concedo; si specificet per modum termini, nego. Quando dicitur quod obiectum specificat actum & habitum, significatur quod obiectum est terminus illius ordinis, qui est intrinseca essentia ipsius actus, vel habitus; ordo igitur intrinsecus est, obiectum verò est extrinsecum, quatenus terminat talem ordinem.

Solutio secundæ.

Ad secundam respondeo concedendo, quod diuersæ scientiæ possunt attingere eadem obiecta, etiam formalia materialiter, & in ratione rei: sed nego quod possint attingere illa vt obiecta formalia, seu in ratione obiecti: v.g. certum est quod intellectus cognoscit colorem esse visibilem, Deum esse amabilem; quod voluntas amat obiectum vt est verum: sed intellectus non cognoscit colorem visibilem vt visibilem, neque Deum amabilem vt amabilem; cognoscit enim colorem visibilem, & Deum amabilem, & alia omnia prout intelligibilia: voluntas amat obiectum vt est verum sub ratione amabilis. Similiter ergo Metaphysica cognoscit obiecta omnia reliquarum scientiarum sub ratione entis, prout abstrahit à materia. Considerat Deum autorem naturæ, prout euidenter cognoscibilem ex solo lumine rationis naturalis, quem Theologia cognoscit vt cognoscibilem ex lumine fidei obscuro, saltem remotè, quatenus supponit principia fidei, ex quibus discutrit; cognoscit enim Deum esse autorem naturæ sub eo lumine fidei, quem Metaphysica cognoscit vt cognoscibilem sub lumine solo rationis. Deus itaque vt cognoscibilis supernaturaliter est aliqua ratio entis, quam Metaphysica sub ratione pura entis cognoscit, non autem sub ratione cognoscibilitatis supernaturalis.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam respondeo scibilitatem & cognoscibilitatem obiectorum explicari optimè posse sine vilo vitioso circulo, sicut species impressæ intelligibiles aut visibiles sine vilo huiusmodi circulo explicantur. Nam species dicitur intelligibilis eo

quod faciat intelligere; & obiectum dicitur scibile, quia facit scire; vbi nullus est circulus, quia scientia & obiectum diuerso modo se includunt, cum obiectum formale includat scientiam, tanquam id quod specificat; scientia verò includat obiectum tanquam id à quo specificatur. Sicut causa vt causa semper includit effectum, & ab eo includitur sub diuerso conceptu; causa enim includit defectum prout eum causat, & effectus includit causam pro vt ab ea causatur. Quod etiam in omni relatione verum est: pater dicit filium, & filius patrem.

SECTIO II.

De actu scientiæ generatim.

Post explicatum obiectum habitus scientiæ, sequitur actus, quem dixi specificari ab obiecto, & specificare habitum. Possent autem hoc loco tradi omnia, quæ in Logica tradi solent de premissis & conclusionibus demonstrationis, quam constat esse scientiam actualem: sed iis in eorum locum reiectis, satis erit de hoc actu dicere. Primò, an, & quomodo esse ille debeat certus & euidentis: secundò, vtrum possit idem actus scientiæ simul esse actus fidei & opinionis: tertio, vtrum saltem possit in eodem intellectu esse actus scientiæ cum actu fidei & opinionis de eodem obiecto.

§. I.

An, & quomodo actus scientiæ debeat esse certus & euidentis.

Certum est primò, nullam esse scientiam, cuius actus certus non sit certitudine formali, tum essentiali, seu ex parte obiecti; tum accidentaliter, seu ex parte subiecti. Certitudo enim alia est formalis, alia obiectiua. Formalis est cognitio intellectus ita vera vt non possit esse falsa: obiectiua est obiectum prout necessarium omnino & infallibile, siue necessitas ipsius obiecti. Deinde certitudo formalis alia est essentialis, quæ vocatur ex parte obiecti, & est cognitio, cuius obiectum est necessarium: alia est accidentaliter, seu ex parte subiecti, & est firma adhesio intellectus ad aliquod obiectum sine formidine oppositi. Vtrumque illam certitudinem esse in quolibet actu scientiæ, notum est; essentialem quidem, quia scientia obiectum habet necessarium, alioqui scientia posset esse falsa; accidentalem autem, quia intellectus sciendo assentitur obiectis sine vlla formidine: ergo scientia in suis actibus habet certitudinem ex parte subiecti.

Certum est secundò, scientiam, saltem partem naturalem, habere actus non solum certos, sed etiam euidentes. Evidentia verò non est aliud quam veritas alicuius rei, cui non potest intellectus dissentiri. Potest autem dici duplex. Prima obiectiua, quæ est obiectum, quod ita ostenditur intellectui, vt non possit ei dissentiri. Secunda formalis, quæ est actus intellectus circa obiectum, cui non potest intellectus dissentiri. Differt ergo certitudo ab evidentia, quod certitudo actus sit ita verus, vt non possit esse falsus; evidentia verò sit actus circa obiectum, cui non potest intellectus dissentiri. In fide diuina certitudo est sine vlla evidentia, nullus autem esse potest actus euidentis, qui non sit etiam certus. Cum autem scientia differat à fide, debet actus scientiæ habere non solum certitudinem,

Quæst. I. Sect. II. de Actu scientiæ. 611

rudinem, sed etiam euidentiā. Quomodo autem Theologia possit esse scientia, cum nitatur principiis reuelatis, quæ obscura sunt, suo loco dictum est; loquor enim nunc de scientiis purè naturalibus. Cætera de hac euidentiā scientiæ pertinent ad Logicam in libris de demonstratione.

§. II.

Utrum idem actus scientiæ possit simul esse actus fidei & opinionis.

Status controuersie.

Actus fidei cum nitatur testimonio dicentis, quod extrinsecum est obiecto, simpliciter est obsecutus, si testimonium illud obscurum sit: actus autem opinionis non solum ineuidens est, ut fides; sed etiam incertus, quia nititur medio solum probabili; & quod potest aliter se habere. Semper ergo actus opinionis includit formidinem, saltem potentialem. Qui enim opinatur, sic assentitur, ut possit formidare de falsitate sui assensus. Aliquando autem habet etiam adiunctam formidinem actualement. Difficultas ergo est apud Philosophos celeberrima, utrum idem actus possit per diuersa media simul esse euidens & ineuidens, certus & probabilis; atque adeo idem assensus esse actus trium habituum; scientiæ, fidei, & opinionis.

Triplex dubitatio.

Ratio enim dubitandi est primò, quia si non posset idem actus esse assensus scientiæ, fidei & opinionis, esset maximè, quia euidentiā & ineuidentiā, certitudinem & incertitudinem contradictoriè opponuntur: illa ratio nulla est, quia ibi non est oppositio contradictoria, ubi affirmatio & negatio de eodem dicuntur ratione diuersorum. Sed actus ille qui esset fides, scientia, & opinio, esset euidens & ineuidens, certus & incertus ratione plurium mediorum: ergo in illo actu nulla est contradictio.

Secundò. Eadem visio habere potest plura obiecta contraria; video enim vno & eodem actu album & nigrum; cognosco simul, & per modum vnius plura obiecta inter se contraria: ergo potest idem actus habere multa motiua, quorum vnum sit euidens, alterum ineuidens.

Tertiò. Eadem species intelligibilis Angeli repræsentat innumera obiecta totalia, & opposita: ergo non implicat ut idem actus habeat plura motiua totalia.

Conclusio negans.

Dico primò, implicare omnino contradictionem, ut vnus & idem actus, etiam ratione diuersorum motiuorum, sit actus scientiæ, fidei, & opinionis. Ita docent communiter Theologi omnes, & Philosophi, contra Durandum & paucos Recentiores.

Probatio.

Ratio est, quia ut argumentabar in tractatu de Fide, chimæra non magis est impossibilis, quàm actus qui simul ex diuersis motiuis totalibus sit actus fidei, opinionis & scientiæ: sed chimæra est absolute ac simpliciter impossibilis: ergo impossibilis etiam est actus qui sit actus scientiæ, fidei & opinionis. Probatur maior. Idem chimæra implicat, quia esset vnum animal constans ex pluribus essentiis totalibus specie diuersis: sed actus fidei, scientiæ, & opinionis, esset etiam vnum quid constans ex pluribus essentiis totalibus specie diuersis; fides enim, scientia, & opinio, tam sunt essentiæ totales diuersæ, quàm leo, draco, & capra: ergo ille actus tam implicat quàm chimæra. Neque video vllam prorsus disparitatem; si enim dixeris chimæram constare ex pluribus es-

Assentiis totalibus, actum autem fidei, scientiæ, & opinionis habere solum essentiæ parciales diuersas. Contrariè instari potest. Essentiæ fidei non minus est totalis essentiæ in se, quàm essentiæ leonis; idem autem incipit esse partialis in isto actu, quia iungitur alteri essentiæ: ergo in chimæra non sunt minus essentiæ parciales, quàm in isto actu, qui est fides, scientia, & opinio. Imò argumentor vterius. Idem essentiæ leonis, draconis, & capræ non possunt conuenire in vnum animal, quia sunt essentiæ totales in seipsis: sed essentiæ fidei, opinionis, & scientiæ non sunt minus in seipsis totales, quàm essentiæ illorum animalium: ergo essentiæ fidei, opinionis & scientiæ non possunt magis conuenire in vnum actum, quàm essentiæ illorum trium animalium in vnum animal. Omnia igitur argumenta, quæ probant implicare chimæram, probant implicare istum actum.

Ad primam respondeo, falsò aduersarios supponere, implicantiā huius actus peti ex eo, quod contradictoriè implicat ut aliquid ratione diuersorum habeat euidentiā, & ineuidentiā; hoc enim statim ostendam nullo modo esse impossibile. Si ergo idem actus habere posset duo motiua totalia, facillè concederem euidentiā & ineuidentiā stare posse in eodem actu; itaque ad argumentum absolute negatur maior propositio.

Solutio primæ dubitationis.

Ad secundam respondeo eandem visionem habere posse plura obiecta particularia contraria, non posse habere plura obiecta formalia totalia, quia plures haberet essentiæ totales, quod est chimæram esse. Video ergo simul album & nigrum, vel per plures simul actus, vel per vnum actum sub vnica ratione formali communi duobus illis obiectis: quæ licet in ratione rei sint contraria, tamen conueniunt in aliqua communi ratione obiecti, nempe in ratione visibilis. Cognosco simul per modum vnius plura obiecta, quatenus conueniunt in communi aliqua ratione obiecti; actus autem qui esset scientia, fides, & opinio, haberet tria motiua totalia disparata, neque in illa tenderet sub vna ratione formali, alioqui nec esset scientia, nec fides, nec opinio; quia fides vtitur autoritate tanquam motiuo vltimato; scientia vltimò assentitur propter motiuum necessarium: est ergo aperta disparitas.

Solutio secundæ.

DAd tertiam de speciebus intelligibilibus angelicis, quæ dicuntur esse vniuersales, eadem responsio est; nam illæ repræsentant obiecta plurima prout conueniunt in aliqua communi ratione formali sub qua repræsentantur. Vnde nego, illa esse obiecta totalia. Est ergo aperta disparitas, quia ista species multa repræsentans, non habet plures essentiæ, cum vnum habeat obiectum formale; actus autem scientiæ, fidei & opinionis haberet plures essentiæ, & esset in specie scientiæ, in specie fidei, in specie opinionis.

Solutio tertiæ.

§. III.

Utrum actus scientiæ possit simul esse in eodem intellectu cum actibus fidei & opinionis.

Posito, quod actus scientiæ non possit esse actus fidei & opinionis, adhuc quaritur, utrum actus scientiæ non solum à seipso excludat fidem & opinionem, sed etiam ab eodem intellectu in quo est; ita ut in subiecto ubi est actualis scientia euidens & certa, ibi esse non possit opinio incerta, & fides ineuidens. De qua controuersia fuse

fusè dictum est secunda secundæ, dum egi de actu fidei; quibus vix habeo quod addam.

Prima dubitatio.

Ratio enim dubitandi primò est, quia contraria, imò contradictoria ex eodem subiecto se necessarid expellunt, euidencia & ineuidencia tam opponuntur contradictoriè, aut priuatiuè, quàm lux & tenebræ, cæcitas & visus: ergo sicut implicat vt in eodem aère, etiam respectu diuersorum sint lux & tenebræ, cæcitas & visus; sic implicat vt in eodem intellectu etiam respectu diuersorum actuum, & diuersorum mediolorum simul sint euidencia scientiæ, & ineuidencia fidei ac opinionis.

Secunda dubitatio.

Secundò. Certitudo actualis, & formido actualis non magis inuicem pugnant, quàm actualis euidencia, & actualis ineuidencia: sed actualis certitudo & actualis formido non possunt esse simul, etiam respectu diuersorum motuorum: ergo non possunt etiam esse simul actualis euidencia & actualis ineuidencia.

Tertia dubitatio.

Tertiò. Implicat vt in eodem intellectu simul sint de eodem obiecto assensus & dissensus, quantumcumque illi sint plures actus: ergo implicat similiter vt simul sint actus euidens, & actus ineuidens; actus certus, & actus incertus, importans formidinem, qualis est opinio.

Secunda conclusio affirmans.

Dico secundò, posse saltem diuinitus esse in eodem intellectu actum scientiæ cum actibus fidei & opinionis. Ita olim probauimus contra plures Philosophos & Theologos.

Prima ratio.

Ratio autem primò erat, quia duæ veritates & virtutes intellectuales nunquam inuicem pugnant: sed fides, saltem diuina, & scientia sunt duæ virtutes intellectuales, & earum obiecta sunt duæ veritates: ergo fides & scientia etiam actuales non inuicem pugnant: ergo possunt esse simul. Maior nota est, quia veritas non est opposita nisi falsitati; & virtus non est opposita nisi vitio, sicut lux non est opposita nisi tenebris.

Secunda ratio.

Secundò actus scientiæ non magis excludit ab eodem intellectu actum fidei & opinionis, quàm actus scientiæ intuitiue actum scientiæ abstractiue: sed actus scientiæ intuitiue, & actus scientiæ abstractiue simul sunt, vt patet in Beatis: ergo actus etiam fidei, & actus scientiæ possunt esse simul. Probatur maior. Idè scientia abstractiua, quæ exigit obiectum absens, potest esse simul cum intuitiua, quæ exigit obiectum præsens; quia scientia abstractiua non exigit obiectum præsens respectu intellectus, sed tantum respectu medijs, per quod cognoscitur: sed fides & opinio non requirunt ineuidenciam obiecti respectu intellectus, in quo sunt; sed tantum respectu medijs, per quod cognoscitur: ergo eodem modo repugnant scientia abstractiua, & intuitiua, quò scientia & fides. Cur enim scientia propter obiectum euidens excludit fidem de obiecto ineuidenti; scientia verò de obiecto præsentis non excludit scientiam abstractiua de obiecto absenti.

Tertia ratio.

Tertiò. Constat experientiâ nos posse assentiri ex motiua probabili, cui assensus ex medio demonstratiuo; nam multas eiusdem rei solemus afferre rationes, quarum aliquæ sunt tantum probabiles. Denique sæpe aliquis eidem rei assentitur propter duo motiua, quæ putat esse scientifica; quorum vnum est duntaxat probabile: ille tunc habet actum scientiæ simul cum actu opinionis; nam assensus ex motiua quod probabile tantum est, actus est opinionis; & assensus qui est ex motiua demonstratiua est actus scientiæ: ergo illi actus possunt esse simul.

Ad primum respondeo, euidenciam & ineuidenciam opponi contradictoriè, quando respiciunt idem motiuum; non opponi quando motiuum idem non respiciunt. Neque par est ratio lucis & tenebrarum; cæcitas, facultatis videndi ac visionis; & euidenciæ ac ineuidenciæ: quia tenebræ absolute negant lucem in eo subiecto, in quo sunt, & cæcitas etiam in subiecto in quo est negat facultatem videndi: at verò ineuidencia negat quidem euidenciam in eo actu in quo est, sed non negat eum in eo intellectu in quo est; actus enim ineuidens est ille, qui ex vi motiui non cogit intellectum ad assensum, sed impedit vt intellectus ex vi alterius motiui ad hoc ipsum necessitetur, ad quod non necessitabatur ex vi alterius motiui. Quando ergo dicitur aër esse tenebrosus, significatur nullam in eo esse lucem; & quando dicitur aliquis esse cæcus, significatur illum omnino carere facultate videndi. Euidencia igitur, & ineuidencia non comparantur sicut lux & tenebræ; sed sicut paruum & magnum lumen.

Ad secundam respondeo negando maiorem, quod nimirum actualis certitudo, & actualis formido non magis pugnent inuicem, quàm actualis euidencia & actualis ineuidencia; disparitas enim est, quia actus scientiæ qui est euidens, & actus ineuidens affirmant existentiam eiusdem obiecti, vnde fit, vt dixi, vt actus ineuidens neget duntaxat euidenciam in seipso, non autem in intellectu, in quo est; ideoque solum opponuntur ratione obiecti formalis; formido autem actualis negat existentiam obiecti, quam affirmat actus certus; ideoque formido actualis negat certitudinem non tantum in seipsa, sed etiam in intellectu, qui actu formidat, quia non excludit duntaxat obiectum formale, sed etiam obiectum materiale: nemo autem simul & semel dicere potest aliquid pro certo esse, & tamen dubitare an sit.

Ad tertiam eadem responsio est; implicat enim vt assensus, & dissensus de obiecto eodem sint simul; assensus enim affirmat rem esse, dissensus negat esse illam rem eandem. Pugnant ergo ratione intellectus eiusdem, quia vnus excludit obiectum materiale & formale, quod alter affirmat. Opinio ergo importat formidinem aptitudinalem, non importat formidinem actualem, vt constat ex sequenti sectione.

SECTIO III.

De habitu scientiæ generatim.

Post obiectum & actum scientiæ, sequitur habitus, quo actus ille velut sigillum ceræ impressum consignat intellectum, & veluti diuinitura moriens mater illum fecundat duratura in perenni prole, cum ipsa nascendo moriatur. Supponenda verò sunt hoc loco quæcumque de habitibus in genere traduntur disputatione vltima de anima; & de habitu scientiæ tria sunt generatim ponenda. Primò eius vnitas, verum scilicet vnica tantum sit scientia totalis: secundò multiplex eius diuisio: tertiò comparatio habitus scientiæ cum reliquis habitibus intellectus.